Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25878
Copyright: Admont, Benediktinerstift

53r

erret. magis autem sanet? Parvo autem naso est qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. Naso quippe odores fetoresque discernimus. Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Unde et in laude sponse dicitur in canticis canticorum: Nasus tuus sicut turris que est in Lybano. Quia nimirum sancta ecclesia que ex causis singulis temptamenta prodeant per discretionem conspicit, et ventura viciorum bella ex alto deprehendit. Sed sunt nonnulli qui dum estimari hebetes nolunt, sepe se in quibusdam inquisicionibus plusquam necesse est exercentes ex nimia subtilitate falluntur. Unde hic quoque subditur: Vel grandi et torto naso. Nasus enim grandis et tortus est discretionis subtilitas inmoderata, que dum plus quam decet excreverit, actionis sue rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede vel manu est qui viam dei pergere omnino non valet, atque a bonis actibus funditus exors vacat, quatenus hec non ut claudus saltim cum infirmitate teneat, sed ab his omnimodo alienus existat. Gibbus vero est quem terrene sollicitudinis pondus deprimit, ne umquam ad superna respiciat, sed solis his que in infimis calcantur intendat. Qui et si quando aliquid ex bono patrie celestis audierit, ad hoc nimirum perverse consuetudinis pondere pregravatus cordis faciem non attollit, quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrene usus sollicitudinis curvum tenet. Ex horum quippe specie psalmista in psalmo dicit. xxxvi. Incurvatus et humiliatus sum usque quaque. Quorum culpam quoque per semetipsam veritas reprobans ait in luca: Semen autem quod in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt et a sollicitudinibus et diviciis et voluptatibus vite euntes suffocantur, et non referunt fructum. Lippus vero est, cuius quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed tamen hunc (vel hoc) carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupille sane sunt, sed humore defluenti infirmantes palpebre grossescunt, quarum et infusione crebro atterite etiam acies pupille viciatur. Et sunt nonnulli quorum sensum carnalis vite operatio sauciat, qui videre recta subtiliter per ingenium poterant, sed usu pravorum actuum caligant. Lippus itaque est cui sensum natura exacuit, sed conversationis pravitas confundit. Cui bene per angelum dicitur in apocalypsi: Collirio inunge oculos tuos ut videas. Collirio quippe oculos ut videamus inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicamine bone operationis adiuvamus. Albuginem vero habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur, quia arrogantia sapientie seu iusticie cecatur. Pupilla

Tertia Indiscretio.

Discernere est virtutes eligere et delicta reprobare.

Quarta Alienatio.

Quinta Perversitas.

Nolite scilicet esse. hoc est nolite ex perversa consuetudine necessaria vobis acquirere.

Sexta Pravitas.

Septima Arrogantia.